

texto y *sine incommodo*, no se inquiete, encomiéndelo á Dios y basta; excepto el caso de haber olvidado dar la absolución por grave negligencia, en cuyo caso el grave *incommodo* no le excusaría (Gur., *Cas.*, II, 737).

76. Duda. — Si el penitente que cuando se confesó estaba dispuesto á restituir, luego advertido no quiere, aun pudiendo, ¿el confesor que lo desobligó positivamente con culpa grave, estará obligado á restituir por él? San Alfonso dice que sí (621), porque con su consejo positivo causó ya el daño (*actu*); por otra parte, el penitente habría ya de hecho restituido: pero yo esta vez estoy con el rígido Antoine (*de Poen.*, c. 3, a. 3, qu. 10) que dice que no, por la sencillísima razón de que el confesor con su exhortación ó sea consejo contrario ya quita la causa, por lo que á él toca, del daño, y por lo tanto, toda la culpa es del penitente si no restituye; ¿no es claro? ¿El primer consejo no sería, por ventura, la causa del daño? Ciertamente que sí, mas ahora quita esa causa: ¿cómo, pues, se le quiere imputar el efecto? Este, después del segundo consejo, ya no reconoce por causa sino la malicia del penitente que la desdeña. Por otra parte, ello está conforme con aquella doctrina probable y común entre los teólogos (comprendido Concina), como enseña el mismo San Alfonso, por la cual, cuando se revoca á tiempo un consejo dañoso dado de oficio, el que lo ha dado no está obligado á más. Ni nos parece bastante exacto lo que dice el Santo Doctor, que cuando el confesor, con culpa grave, positivamente desobligó, causó entonces de hecho (*actu*) el daño; entonces pone de hecho (*actu*) la causa del daño, no el daño mismo; luego cuando de la manera que le es posible revoca el primer consejo, quita por lo mismo esta causa, que todavía (nótese bien) no ha obrado, como se supone. Y no vale el ejemplo de quien habiendo aplicado fuego á la mies ajena, luego arrepentido hace todos los esfuerzos posibles para apagarlo; está todavía obligado á resarcir el daño, sea porque el daño está ya causado en parte, sea porque el fuego obra necesariamente, no obstante la buena voluntad de quien lo quiere extinguir, y obra en virtud del primer acuerdo, cuya eficacia no puede en ninguna manera destruirse

con la buena voluntad subsiguiente; cuando en nuestro caso, revocado el primer consejo, el efecto proviene ya de la malicia del penitente. Se puede, por tanto, seguir, á mi entender, seguramente en la práctica, nuestra sentencia.

PUNTO 3.º — *De los defectos relativos á la santidad del Sacramento.*

77. Principios. — I. Omnes sacerdotes tam saeculares, quam regulares, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, sive ante vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis, etiam confessione non secuta, sive extra confessionis occasionem in confessionario aut in loco quocumque, ubi confessiones audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint, denuntiari debent Inquisitoribus seu locorum Ordinariis; et omnes confessarii, qui suos poenitentes noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, mox neant de obligatione hanc denuntiationem exequendi, et ne illos absolvant priusquam denuntiationem ipsam ad effectum perduxerint; necnon locorum Ordinarii contra hujusmodi sollicitantes severe animadvertant per condignas poenas, juxta apostolicas Constitutiones (Greg. XV, *Universi*, 1622; Ben. XIV, *Sacram. Poenitent.*) quae in singulas nationes universim vires suas extendunt, ac latinos aeque ac graecos sua amplitudine comprehendunt (Ben. XIV, *Etsi Pastoralis*, § 9, n. 5).

II. In sollicitatione sex considerantur. *Primo*, ipsum sollicitationis crimen. *Secundo*, obligatio confessarii monendi poenitentem de denuntiatione sollicitantis. *Tertio*, obligatio poenitentis sollicitantem denuntiandi. *Quarto*, poenae in sollicitantem decernendae. *Quinto*, poenae item decernendae in confessarium culpabiliter omittentem monitionem poenitentis circa denuntiationem. *Sexto*, poenae

in penitentem, irrationabiliter nolentem denuntiare, a jure inflictæ.

III. Sollicitatio heic est invitatio, incitatio, provocatio ad res venereas, facta a confessario cum respectu ad sacramentum Poenitentiae. Unde differt toto coelo a sollicitatione ad res venereas facta a sacerdote etiam confessario, sed absque ullo respectu ad sacramentalem confessionem. Ad hoc igitur crimen constituendum requiritur et sufficit, *primo*, quod sollicitatio facta fuerit a sacerdote confessario, reduplicative (*in quanto*) ut tali, etiam jurisdictione carente (Ben. XIV, Sac. Poen.; S. A. 688); *secundo*, quod sollicitaverit personas quascumque, idest cujuscumque generis, sexus, aetatis et conditionis; *tertio*, quod sollicitaverit ad inhonesta contra sextum, quomodolibet perpetranda, tum verbis sive colloquio, tum opere, tum signis quae turpia significant, puta, osculo, tactibus impudicis, missione osculi manibus, compressione pedum ad lascivum amorem excitandum et alia id genus; *quarto*, quod sollicitaverit cum respectu ad confessionem, juxta clausulas jam recensitas et nunc expendendas.

IV. Sollicitatio ergo non intelligitur nisi, *primo*, in actu sacramentalis confessionis, etsi tantum inchoatae et nondum perfectae, vel etsi in ea non absolvatur; *secundo*, sive ante vel post immediate confessionem, quod ita stricte intelligendum ut nullum intervallum sollicitationem intercurrat et confessionem, si fiat immediate ante vel nulla alia actio serio intercedat si fiat immediate post, seu, uno verbo, ut *nihil mediet*, ut aiunt (1); *tertio*, sive occasione vel praetextu confessionis, etiam confessione non secuta; *occasione*, quando confessarius vel poenitens invitat ad confessionem veram, et interea fit sollicitatio; *praetextu*, quando invitat ad

(1) S. A. 677. Quod particula *immediate* referri debeat et ad *ante*, ut cum S. A. communiter dicunt theologi etiam recentiores, patet ex eo quod alias illud *ante* absolute interpretari posset etiam de mense ante confessionem. Ex praxi autem tribunalis S. Off. non censetur confessarius sollicitasse *immediate post* confessionem, si sollicitatio post transcriptum integrum diem accidat, dummodo nullo modo pravam intentionem in confessione indicaverit. Hoc tamen non obstat quominus vi alterius clausulae denuntiandus forte sit (Ball. ad G. II, 590; Vic. Scavini, II, 404.

confessionem fictam item cum sollicitatione, etiamsi confessio non sequatur, etiamsi nondum sederit pro tribunali, etiamsi poenitens nondum genuflexus fuerit, vel demum etiamsi confessarius confessionem ad aliud tempus differendo interea sollicitet (S. A. 678; Scav., III, 404); *quarto*, sive extra confessionis occasionem, in confessionario aut in loco quocumque ad confessiones destinato (1), seu ad confessionem electo, simulantes ibidem confessiones audire; quod ita intelligendum ut ad constituendam ex hoc capite sollicitationem duae (nota) requirantur conditiones; *tum* quod sollicitatio eveniat in loco ad confessiones excipiendas destinato ceu confessionario vel electo, ceu cubiculo aegrotantis, *tum* quod interveniat confessionis simulatio (*Dub.* 3 y 4), prout patet ex contextu Apost. Constitution., necnon ex Decr. S. U. I. (Scav., III, 404, cum communior. et sequenda sentent.).

V. Quoad obligationem poenitentem monendi, confessarius, *primo*, advertat se ita teneri sub mortali ad monendum de obligatione denuntiandi, etsi nullus fructus speretur, cum agatur de bono communi, ut si hoc negligat debeat puniri (*o. Dub.* 2.<sup>o</sup>); *secundo*, non sit tamen nimis festinus in hoc onus imponendo (S. A. *Prax.*, 83), nisi de eo *certo* moraliter constet, et proinde in dubio se gerat ut infra (*Dub.* 1.<sup>o</sup>); *tertio*, quinimo cautissime procedat antequam decisionem efformet imponendi vel non hoc onus, diligentissime attendendo conditionem tum sollicitati tum sollicitantis, puta, num poenitens levis vel malitiosus, vel aliqua passione moveatur, vel semifatuus (*necio*), vel non integer sensibus, veluti caecutiens aut surdaster, num e contra sollicitans bonis moribus et integra fama ornatus, et alia id genus, omnia et singula examinando non praecipitanter vel sub prima animi motione ex relatione excitati, sed matura consideratione ex sensu Constitutionum et auctorum probatorum; *quarto*, absteineat prorsus ab interrogandis mulieribus poenitentibus an fuerint unquam in confessione sollicitatae,

(1) S. U. I. declaravit, die 25 Nov. 1874, quod loca in quibus excipi solent confessiones Monialium tum in monasteriis claustralibus tum in Conservatoriis seu Institutis quibuscumque, habenda sint ut vera confessionalia, non solum quoad mulieres in praedictis locis degentes, sed etiam quoad mulieres extraneas (Scav., III, 404).

tum quia istae interrogationes, cum sint de crimine extraordinario et non praesumendo, prorsus sunt impertinentes, tum quia admirationem, scandalum et laqueum turpis cogitationis in eis injicerent, sed tantum moneat eas de obligatione si dicant fuisse serio sollicitatas.

VI. Quoad denuntiationem ipsam nota, quod adest rigoro obligatio sub gravi tum poenitentis sollicitati tum cuiuslibet qui id certo sciat, praeterquam quod sub secreto consilii, confessarios sollicitantes superioribus ecclesiasticis denunciandi (Ex *Edict. S. U. I.* 10 Mart. 1667 ap. Potestá *Ex. conf.*, n. 226; S. A. 680-695; Marc, 1798); quod haec obligatio est independenter a confessarii monitione, ut ita sollicitatus teneatur denunciare (si sciat) etiamsi confessarius non moneat, quia imposita est a Constit., et monitio confessarii est tantum declaratio hujus obligationis; quod ad affectum est deducenda, nisi quid obstet, intra mensem vel a die quo innotuit obligatio denunciandi, vel a die (si haec obligatio jam innotuerat) quo evenit sollicitatio, notando quod *dies termini non computantur in termino*, ut ajunt jurisperiti (Ferraris, *sollicitat.* 50); quod nolentes culpabiliter huic obligationi facere satis non sunt absolvendi, et omittentes infra mensem excommunicationem latae sententiae nemini reservatam incunctanter incurrunt (*Commentario*, c. V, § 4); quod licet quisquis certo sollicitationem novit ad denunciandum teneatur, excommunicatio tamen nisi sollicitatum ipsum non denunciantem nullatenus tenet; quod quem tenet haec excommunicatio propter omissam culpabiliter denuntiationem, licite tamen absolvimus, quando eum de omissione poenitet et sincere denunciare promittit, quia lex hic non statuit *donec non denunciaverint* (v. *Commentario*, l. c.); dummodo (nota) absolutio commode differri nequeat vel juxta sit causa denuntiationem differendi.

VII. Poenae in sollicitantes sunt suspensio ab exercitio Ordinis, privatio beneficiorum, dignitatum, et officiorum quorumcumque, et perpetua inhabilitas ad illa, necnon ad sacrificii celebrationem, ac demum privatio vocis activae et passivae pro regularibus; quas tamen omnes accipimus ferendae sententiae (Ex C. Greg. XV et *Decr. S. U. I.* juss.

Ben. XIV et cit. *Instr.* 20 Feb. 1867); quam sentent. episcopus ipse non alius ab eo delegatus proferre debet (Ben. XIV, *Ep. privat.*, 11 Nov. 1743, ad Azevedo et Albitius ap. Scavini, III, 513).

VIII. Quicumque vero vel per seipsum vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat, innoxios sacerdotes apud judices ecclesiasticos falso sollicitationis insimulaverit, a quocumque confessario, quavis auctoritate munito, praeterquam a R. P., nisi in mortis periculo, prohibetur absolvi (Ben. XIV, *Sacram. Poen.*).

IX. In facultatibus, quibus episcopi aliqui locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis, excipiendi semper in posterum et excepti habendi sunt casus reservati in C. *Sacr. poenit.*, nempe: *absolutio* complicitis, idest facultas absolvendi proprium complicem in peccato turpi; *absolutio* illius qui absolvere ausus fuerit suum complicem; *absolutio* illius qui falso accusaverit confessarium de sollicitatione; qui casus propterea ita *specialissime* reservati manent, ut ne in amplissimis quidem facultatibus, quibus interdum confessarii donantur, etiam in tempore Jubilaei, intelligantur comprehensi, nisi de iis fiat specialis et expressa concessio (S. U. I. 27 Jun. 1866 y 4 Apr. 1871; Del Vecch., II, 665, *Acta S. Sed.*, VIII, p. 360). Ex quibus *non prohibetur* quominus confessarius absolvat tum confessarium tum poenitentem, qui inter se peccaverunt peccato luxuriae, nisi adsit episcopalis reservatio; *nec prohibetur* quominus sollicitans valide absolvat, et quin in aliquam incidat censuram, poenitentem a se sollicitatum, quando (nota bene) hic sollicitationi non consensit (v. Del Vecch., II, 765, *not.*), ita ut non adfuerit complicitas peccati, nisi iterum adsit episcopalis reservatio; *nec prohibetur* quominus quilibet confessarius absolvat valide et licite confessarium sollicitantem ab ipso peccato sollicitationis, etiamsi sollicitatio effectum habuerit, idest, etiamsi ex ea provenerit peccatum aliquod complicitatis inter sollicitantem et sollicitatum, nisi item adsit episcopalis reservatio, et dummodo sollicitans sollicitatum non absolverit.

78. Conclusiones. — 1.<sup>a</sup> Ex dictis denunciandus confes-

sarius sollicitans, licet jurisdictione carens; licet tantum consentiens (*v. Dub.* 6) primum sollicitationi et statim desistens de inhonestis loqui, differendo complementum ad aliud tempus et non praeibendo poenitenti absolutionem (1); licet sollicitatio mutua fuerit; licet sollicitet tantum conditionate dicendo: *si possem, si non esset peccatum, si timor Dei non me contineret, facerem hoc vel illud*, quia istae conditiones non auferunt malitiam sermonis nec injuriam sacramenti; licet sponte se praesentaverit, quia hoc non eximit poenitentem ab observatione praecepti denuntiationis (2); licet jam emendatus, quia non tantum emendationem sed punitionem et scandalum resarciendum intendit Ecclesia; licet propter sollicitationem et denuntiationem alterius jam abjuraverit (3); licet jam convictus et punitus de eadem sollicitatione, quia denuntiatio unius non adimit obligationem alterius pariter denuntiandi; licet sollicitet mediate, nempe poenitentem ut inducat aliquam foeminam ad secum peccandum; licet speretur per simplicem correctionem emendatio quin denuntietur; licet sollicitaverit ex mera fragilitate;

(1) Ex *Decr. S. U. I.*, die 11 Febr. 1661 et a Ben. XIV confirmato, et ex *Dec. cit.* 20 Febr. 1867, prout tenet sententia comm. cum Potest. *Exam. Conf.* t. 2, n. 579. Scav., III, 399. Gur., II, 591. Ball. ad G. l. c. Frassin. *Not.* 165. D'Ann., III, 235. Cretoni ad G., II, 590. Costant. l. c. 825. Marc, 1790. Berard. *Prax.* 550. S. A. 631, contrariam tenuit sent. quia ipsi incompetum fuit decret. cit. an. 1661 prout probat Ball. l. c. Egregius Rota, l. c. 396 seqq. ea qua pollet doctrinae amplitudine, sent. S. A. tueri nititur; at, si quid judico et salvo meliori judicio, ejus argumentatio non convincit et corruiat sua sponte coram allata decreta, quae adeo perspicua sunt, ut ipse cl. Marc, e C. SS. Redemptor., caeteroquin sententiis S. A. semper addictus, communem et veram sententiam teneat. Nescio autem quomodo cl. Rota citet pro sua sent. tum Scavini, qui in noviss. edit. praesertim 1882. commun. sent. absolute sectatur, tum cl. D'Ann. qui item saltem in recentiori edit. nostram sent. disertis verbis amplectitur.

(2) Ita S. U. I. 26 Jul. 1628 ap. Matteucci, *Cautela confessor.*, p. I, c. 5, n. 15.

(3) Id est, qui jam propter aliam praecedentem sollicitationem comparuit et abjuravit, nempe haeresim detestavit, quia sollicitator est de haeresi suspectus; abjuratio enim est haeresis detestatio; et quidem si suspicio de haeresi est levis, dicitur abjurare de levi, si vero vehementis, dicitur abjurare de vehementi. Utrum autem sollicitans suspectus sit de vehementi vel de levi controvertitur; probabilius de levi. Quod vero sollicitans abjuratus debeat nihilominus denuntiari constat ex *Decr. S. U. I.* 11 Febr. 1661 ap. Albitium, prout refert Scav. III, 513.

te; licet sit benefactor sollicitati; licet sit magnae famae et cujuscumque praeeminentiae; licet sollicitatus ad copulam divertat ad tactus; licet sollicitet poenitentem ad peccandum non secum sed cum alio; licet sollicitatio a multo tempore habita fuerit.

2.<sup>a</sup> Item denuntiandus qui in confessione postulavit a muliere ubi habitat et postea eam domi sollicitat, cum quaestio apposita fuerit ad sollicitandum; item qui rogatus a muliere in confessionario seu in loco confessionis ut ejus confessionem excipiat, eam sollicitat; item qui, cognita in confessione mulieris fragilitate, postea eam domi ex hac scientia sollicitat, dummodo tamen ex certis indiciis id constare videatur (1); item qui, muliere ad confessionem prosequenti die invitata, ipsam accedentem, statuta hora, sollicitat, quin verbum de confessione faciat, quia sollicitat praetextu confessionis (Rota, l. c., 288); item qui sollicitat poenitentem caecum et surdum vel non advertentem, quia hoc est per accidens; item qui dat poenitenti chartam in confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitat, etiamsi mulier (in scio confessario) nesciat legere, quia hoc pariter est per accidens; item qui sollicitat ad venerea sub praetextu parvitas materiae, tum quia in his non datur materiae parvitas, tum quia, si daretur, in re presenti non daretur (*Decr. S. U. I.*, 11 Febr. 1661, ad 3); item qui cum muliere convenit, ut ad eludendos domesticos se fingat aegrotam, et ipsum accersat ad patrandum peccatum, quia adest praetextus confessionis ad sollicitandum, nec non simulatio confessionis; item qui, extra confessionem sollicitando incassum foeminam renuentem propter timorem diffamationis, ei suadet ut fingens se aegrotam eum item accersat ad peccandum, quia vere sollicitat ad consensum praetextu confessionis; item qui de poenitente, prius aliqua arte (*v. Dub.* 8) proxime ad confessionem in somnum

(1) S. A. 678. Ball. ad G., II, 595. Q. 8. Scav., III, 404, in *Not.* Dixi ex certis indiciis, puta, si post audita turpia poenitentis interroget ubi habitat, an sit solus et alia id genus. Ad substantiam autem hujus casus, ut scite notat Ballerini, non pertinet quod haec brevi post confessionem contingant; nam etiam post multum temporis, sumpta ex confessione sollicitandi ansa, eandem retinet naturam.

vel ebrietatem vel amentiam inducto, abusus est quocumque modo ad venerea (Potestá, *Ea. Conf.*, II, 553. Rota, 267 á 354); item qui advocatus a matre puellae ut filiae confessionem excipiat, ad cubiculum accedens, cum pravo fine eam interrogat an velit confiteri, vel ei dicit se advocatum fuisse ad ejus confessionem excipiendam et deinde sollicitat, quia sollicitat praetextu confessionis; item qui sollicitat simulando confessionem in loco ad confessionem ex occasione electo, puta, in choro vel cella, licet unum tantum poenitentem audiat; item qui audiendo confessionem ancillae, pulchritudinem dominae laudat mandatque ipsi referre, quia ita habet inhonestus tractatus; item qui dicit poenitenti: *tecum nubere si non essem sacerdos*, quia haec verba, ad confessionem impertinentia, sunt excitantia ad venerem; item qui dicit mulieri: *cur etiam mecum non es humana*, vel: *veniam in domum et promitte facere quod volueris*; vel confitenti desiderium libidinosum: *de hoc agas mecum post confessionem*; quia haec et similia sunt ostensiva pravae intentionis; vel mulieri in confessione sollicitanti: *deestne locus aut tempus haec loquendi*, quia clare suggerunt modum inhonesta tractandi; item qui illi dicit: *audiendo haec tua peccata incidi in pollutionem involuntariam*, et tanto magis si dicat *voluntariam*, non solum quia haec important sermones inhonestos, sed quia revera habent sollicitare mulierem; item qui mulieri petenti confessionem dicit: *nolo te audire in confessione, peccare enim timeo, quia amore tui captus sum*, cum haec verba provocent ad inhonesta et proferantur occasione confessionis; item qui concubinam objurgat, quod cum alio se inmiscuerit, dummodo, iudicio prudenti, pateat quod objurgatio ex zelotypia procedat; item qui mulieri asserenti turpem tentationem repulisse dicat: *sed si aliquis pecuniam dedisset, peccasses*, et, ea affirmante non objurget, vel si objurget, postea domi oblata pecunia, sollicitet. Quoad ultimos casus, v. S. A. 679 á 704; Roncaglia, *de Poen.*, tr. 10, q. 8, c. 2. Potestá, *l. c.*, p. 2, n. 557 segg.

3.<sup>a</sup> Non est tamen denuntiandus, vi Constitutionum, sacerdos in confessione quidem sollicitans ad alia peccata quae turpia non sint, nec sollicitans ad turpia quidem in aliis sa-

cramentis quam poenitentiae, quia Constitutiones loquuntur tantum de sollicitante ad turpia quidem sed in confessione; nec laicus vel non sacerdos sollicitans in confessione, simulans se esse confessarium (1); nec qui, nulla facta petitione confessionis, mulierem in ecclesia sollicitat, etiamsi statim post sollicitationem mulier confessionem petat, quia nulla hic frangitur clausula Bullae; nec qui, nulla conventionem praemissa, advocatus a muliere et sollicitatus praetextu confessionis, reipsa cum ipsa peccat, quia cum ex Const. denuntiari debeat confessarius sollicitans praetextu confessionis, in hoc casu non ipse sed poenitens praetextu confessionis sollicitat (S. A., 679; D'Ann., III, 236; Berardi, *Prax.*, 555); nec qui suggerit, puta, uxori ut praetextu confessionis licentiam a viro petat aliquo eundi et ibi ex condicito peccent, quia non sollicitat praetextu confessionis sed praetextu confessionem ad alios fallendos (v. S. A., *l. c.*; D'Ann., *l. c.*); nec si sollicitans sit mortuus, quia cessat finis totalis legis tum emendationis tum punitiois; nec interpres qui sollicitat in confessione poenitentem; nec mandans confessario ut in confessione sollicitet; nec qui foeminam, dicentem se velle in crastinum confiteri, sollicitat et a confessione dissuadet, dummodo sollicitatio fiat extra locum confessionis et absque praetextu confessionis; nec qui mulierem, volentem de aliquo negotio cum eo tractare, ducit ad confessionale et ibi sollicitat, quin simulet confessionem; nec qui unius mulieris confessioni vacans, ea non advertente, alteram sollicitat ante confessionarium existentem, quia non sollicitat *quatenus* confessarius, nisi (nota) mulier sollicitata confiteri expectaret, quia tunc adesset *ocasio* confessionis; nec qui et ipse stans, nec tamen confessionem fingens, sollicitat mulierem simulantem confiteri, quia non adest simulatio mutua quae circumstantes illudere possit (Potestá, *l. c.*, p. 2, n. 525; Rota, *l. c.*, 301); nec qui, non simulando confessionem nec immediate ante vel post, turpia a muliere extorquet, promittendo ejus confessionem ex-

(1) Licet his denuntiandus sit ex alio cap., nempe quia non sacerdos attentat sacrament. ministrare, ex C. Greg. XIII, et ex *Edict. S. U. I.*, ap. S. A. 608.

cipere, quia confessio non est occasio sollicitationis sed potius factum consequens illam (Potestá, *l. c.*, p. 2, n. 516; Rota, *l. c.*, 288); nec qui laudat poenitentem de pulchritudine et venustate, quia non censetur sollicitare, dummodo (nota) laus illa sit seria et nihil pravae intentionis redolet, quia secus esset denuntiandus (absit tamen quod, licet non ex turpi fine, has laudes proferat confessarius); nec qui audiens confessionem dat donum mulieri, dummodo illud donum sit serium et nihil pravae intentionis redolet, quia non censetur sollicitatio (*v. cit. Ed. S. U. I.*, 11 Febr. 1661, ap. Scav., III, 513); nec qui, praetextu audiendi confessionem, obtinet licentiam a superiore se conferendi ad quamdam ubi sollicitat, vel ex jam condito malum perpetrat, quia praetextus confessionis in hoc casu non est respectu ipsiusmet sollicitationis sed tantum superioris.

4.<sup>a</sup> Denuntiare debet qui sollicitatus fuit in confessione sive vir sive mulier, etiam impuber; item qui sollicitationem certo rescivit a fide dignis; item qui eam novit sub secreto naturali quia praevaleret bonum commune; item qui eam nequit iudice probare; item licet agatur de denuntiando stricta consanguinitate conjuncto, saltem per se (1); item licet consenserit sollicitationi quin tamen consensum confiteatur; item licet sciret sollicitantem sponte comparuisse; item puella, quae adhuc ignara mali sollicitata fuit denuntiare debet statim ac pravae sollicitationis compos effecta est (Scav., III, 401; ex *S. U. I.*, 11 Mayo 1707); item licet incurrere debeat indignationem et increpationem delinquentis, quia molestia haec minimi facienda in re tanti momenti.

5.<sup>a</sup> Excusatur tamen a denunciatione qui criminis notitiam habuit a personis levibus, quia non praestant prudens fundamentum ad iudicandum (*S. A.* 695); item qui audit ab aliis sollicitationem, sed non recordatur a quo audierit, quia non est sciens, ut volunt edicta (*Sanch. matr.*, lib. II,

(1) Dico saltem *per se*, quia facile contingere potest, quod nimis durum esset mulieri denuntiare personam adeo sibi conjunctam, puta, patrum; quo in casu valde probabilis mihi videtur sententia aliquorum theologorum a denuntiatione excusantium. Frassin., *Nota* 180. Berard. *Prax.* 573. Q. VI; Rota, *l. c.* 373; Giord. II, 275; Potestá, *l. c.* p. 2, n. 226 y 559. Vid. *infr. Dub.* 2.

d. 13, n. 6; Rota, *l. c.*, n. 384); item qui audit delictum ab ipsa sollicitata, quae jam denuntiaverit, quia esset inutile, item ipse sollicitans, et proinde si sollicitata cum eo confiteatur, non tenetur eam monere de obligatione denuntiandi, quia Bulla jubet monere poenitentes *ab aliis* sollicitatos (*Viva, in pr.* 7. Alex. VII. Rota, 371. Reiffenst., tr. 14, d. 8, n. 65); item qui rationabiliter ex denunciatione grave sibi damnum in vita, fama aut temporalibus bonis timeret, quia hoc est juris naturalis, quod praevaleret juri positivo non obligante cum tanto incommodo; excepto tamen casu, quod sollicitatio ortum duceret ex contempta sacramenti religione, aut animarum perniciis sequeretur, quia tunc privato damno bonum commune praevaleret (Ball. ad G., II, 593; Rota, *l. c.*, 372); item qui in partibus schismaticorum, haereticorum et mahumetanorum et in iis locorum circumstantiis versantur, in quibus nulla spes adest punitionis denunciati, atque mulieres sine periculo et infamia denunciare nequirent, denunciati vero facile poenam declinarent, recurrendo vel ad episcopos schismaticos vel ad iudices infideles; monendo tamen hujusmodi sollicitatos ut, cessantibus periculis et impedimentis, vel data occasione prout in visitatione Episcopi, denunciare incunctanter debeant (*S. U. I.* Junio 1627; 21 Febr. 1630).

6.<sup>a</sup> Nemo tenetur se ipsum denuntiare, ut patet; at si sollicitator nulla omnino denuntiatione praeventus, sed tantum conscientia victus, sponte comparuerit veniam petendo, dimittitur cum congrua abjuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, nec non consilio vel praecepto ut ab excipiendis personae sollicitatae confessionibus se absteineat, nec poenis statutis, licet postea denuntiatio accederet, afficitur. Si vero judiciaria forma jam praeventus, sed nondum citatus, sua sponte se sistat, beneficio impunitatis non gaudet, verumtamen pro Ordinarii prudentia mitius punitur; quod et servatur cum eo qui veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessus est, prout ex probatis Ordinarius deprehenderit (Ex *Instr. S. U. I.* 20 Feb. 1867. *v. Ben.* XIV, *Syn.* VI, 11, n. 8).

7.<sup>a</sup> Non facile fides mulieribus adhibenda indiscrimina-